Fragmentarium

molas iniqui. ⁊ de dentibus illius aufere
bam predam. Dicebamque: In nidulo meo
moriar. ⁊ sicut palma multiplicabo dies.
Radix mea aperta est secus aquas. ⁊ ros
morabitur in messione mea. Gloria mea
semper innouabitur. ⁊ arcus meus in manu
mea restaurabitur. Qui me audiebant ex
pectabant sententiam meam. ⁊ intenti
tacebant ad consilium meum. Verbis
meis addere nichil audebant. ⁊ super
illos stillabat eloquium meum. Expecta
bant me sicut pluuiam. ⁊ os suum aperiebant
quasi ad imbrem serotinum. Si quando ride
bam ad eos non credebant. ⁊ lux uultus
mei non cadebat in terram. Si uoluissem
ire ad eos. sedebam primus. Cumque sederem
quasi rex circumstante exercitu. eram tamen
XXX. merentium consolator. Nunc autem deri
dent me iuniores tempore. quorum non
dignabar patres ponere cum canibus gre
gis mei. Quorum uirtus manuum erat
michi pro nichilo. ⁊ uita ipsa putabantur
indigni egestate ⁊ fame. Steriles; qui rode
bant in solitudine squalentes calamitate ⁊
miseria. ⁊ mandebant herbas ⁊ arborum
cortices. ⁊ radix iuniperorum erat cibus eorum.
Qui de conuallibus ista rapientes. cum singula
repperissent. ad ea cum clamore currebant.
In desertis habitabant torrentium. ⁊ in
cauernis terre. uel super glaream. Qui inter
huiuscemodi letabantur. ⁊ esse sub sentibus
delicias computabant. Filii stultorum ⁊
ignobilium. ⁊ in terra penitus non paren
tes; nunc in eorum canticum uersus sum.
⁊ factus sum eis in prouerbium. Abhominantur
me ⁊ longe fugiunt a me. ⁊ faciem meam
conspuere non uerentur. Pharetram enim
suam aperuit ⁊ afflixit me. ⁊ frenum po
suit in os meum. Ad dexteram orientis cala
mitates mee ilico surrexerunt. pedes meos

subuerterunt. ⁊ oppresserunt quasi fluctibus semi
tis suis. Dissipauerunt itinera mea. insidi
ati sunt michi ⁊ preualuerunt. ⁊ non fuit
qui ferret auxilium. Quasi rupto muro. ⁊
aperta ianua irruerunt super me. ⁊ ad meas mi
serias deuoluti sunt. redactus sum in nichili.
Abstulisti quasi uentus desiderium meum.
⁊ uelut nubes pertransiit salus mea. Nunc au
tem in memet ipso marcescit anima mea.
⁊ possident me dies afflictionis. Nocte os
meum perforatur doloribus. ⁊ qui me comedunt.
non dormiunt. In multitudine eorum con
sumitur uestimentum meum. ⁊ quasi capi
tio tunice sic cinxerunt me. Comparatus
sum luto. ⁊ assimilatus sum fauille ⁊ cineri.
Clamo ad te. ⁊ non exaudis me. Sto. ⁊ non
respicis me. Mutatus es michi in crudelem.
⁊ in duritia manus tue aduersaris michi. Eleua
sti me. ⁊ quasi super uentum ponens elisisti
ualde. Scio quia morti trades me. ubi consti
tuta domus est omni uiuenti. Verumptamen
non ad consumptionem eorum emittis ma
num tuam. ⁊ si corruerint ipse saluab[illegible]s.
Flebam quondam super eo qui afflictus erat.
⁊ compatiebatur anima mea pauperi. Expec
tabam bona. ⁊ uenerunt michi mala. Presto
labar lucem. ⁊ eruperunt tenebre; interi
ora mea efferbuerunt absque ulla requie. Pre
uenerunt me dies afflictionis. Merens in
cedebam. sine furore consurgens in turba
clamabam. Frater fui draconum. ⁊ socius
strutionum. Cutis mea denigrata est super me.
⁊ ossa mea aruerunt pre caumate. Versa est
in luctum cythara mea. ⁊ organum meum
in uocem flentium. Pepigi fedus cum oculis XXXI.
meis. ut ne cogitarem quidem de uirgine.
Quam enim partem haberet deus in me de
super. ⁊ hereditatem omnipotens de excelsis. Num
quid non perditio est iniquo. ⁊ alienatio ope
rantibus iniusticiam. Nonne ipse considerat

License: public_domain – Leuven, Archief van de Abdij van Park, VIIIB20/7, VIIIB20/8, VIIIB20/9, VIIIB20/10, VIIIB20/11, VIIIB20/12, VIIIB20/13, VIIIB20/14, VIIIB20/15, VIIIB20/92, VIIIB20/94, VIIIB20/97, VIIIB20/98, VIIIB20/104, VIIIB20/115, VIIIB20/116, VIIIB20/117, VIIIB20/164, VIIIB20/183, VIIIB20/104, fol. [1]v – Bible (https://fragmentarium.ms/view/page/F-bcyo/9157/68045)